



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. I. Vtrum Filius Dei in humanâ natura assumere debuerit corporis
defectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

Verbi instrumentum; quemadmodum diuina virtute ambulauit super aquas.

ARTICVLVS IV.

Virum animam Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suae voluntatis.

RESPONDET I. animam Christi potuisse quicquid voluit perfecte implendum: nam contrarium non decuisset eius sapientiam.

Respondet 2. quicquid voluit diuina virtute implendum, id potuisse facere tanquam instrumentum diuinitatis.

DVBIUM.

An id quod Christus fieri voluit per alios semper fuerit impletum?

RATIO dubitandi petitur ex Marci. 7. ubi dicitur ingressus domum (scilicet Iesus) neminem voluit scire, & non potuit latere. eodem cap. in fine sanato surdo & muto dicitur, precepit illis ne cui dicerent, quoniam autem eis preceperat tantum magis plus praedicabant. Matth. 9. sanatis duobus caecis, comminatus est dicens, videte ne quis sciatis, illi autem exenitantes disperserunt cum in tota terra illa.

2. Ex epistola Agathonis Papae quae habetur in 6. Synodo, ubi ex priore loco Marci probat duplicem in Christo fuisse voluntatem, quia de diuina voluntate dici nequit, noluit aliquem scire, & non potuit latere. Ex his videtur omnino sequi quod Christus voluerit aliquid efficaciter per alios implendum; quod tamen impletum non fuerit. Et ita videtur sentire S. Th. responsione ad 1. Caiet. hic & expressè tenet Vasq. disp. 58. cap. 2.

Alij negant Christum quicquam voluisse voluntate efficaci per alios implendum, quod impletum non fuerit. Med. hic Val. disp. 1. q. 13. puncto 4. Lora disp. 54. & communiter Theologi.

1. Quia efficax Christi voluntas fuit perfecte conformis voluntati diuinae, igitur per eam non potuit velle quicquam quod sciebat non futurum.

2. Christus perfecte sciebat quid per alios effectum facendum, vel non facendum; ergo non potuit velle efficaciter contrarium sine magna indecentia, quoniam nullo modo debemus Christo tribuere.

3. Voluntas efficax non potest ferri in id quod clare cognoscitur non futurum; cum id perinde sit ac si cognosceretur impossibile. hec sententia communior, videtur omnino verior. itaque

Ad 1. rationem dubitandi Resp. ex locis Evangelij non colligi id quod intendit prima sententia; & dico quod Christus non voluerit latere voluntate efficaci, sed solum inefficaci, non quidem quae interitus lateret, nec villo modo prodierit in opus, sed ea ex qua adhibuerit media proportionata communi modo procedendi hominum, & quae in alijs essent signum voluntatis efficacis, quibus tamen adhibitis non potuerit latere, vel non potuerit efficere ut eius miracula non diuulgarentur.

Ad 2. sumptum ex epistola Agathonis respondet Med. supra, expositionem Agathonis solum esse probabilem. Verum ea solutio nullo modo vide-

tur satisfacere: melius ergo dici potest Pontificem non velle ostendere in Christo duplicem fuisse voluntatem ex eo quod aliqua eius voluntas non fuerit impleta, idque habeatur ex loco Marci citato, sed quod aliqua voluerit per unam voluntatem etiam adhibitis medijs proportionatis, quae tamen non fuerint impleta. quod de diuina voluntate dici nequit. Non potest enim dici quod Deus aliquid velit & adhibeat consentanea media diuinae voluntati, nec tamen illud fiat. Id solum probat discursus Vasq. & si plus velit, non videtur satis sibi constare. quia non potest dici Christum id voluisse voluntate efficaci, cuius contrarium voluntate efficaci voluit.

Explicatur
Agath.

QUESTIO XIV.

De defectibus corporis assumptis à filio Dei.

ARTICVLVS I.

Virum filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus?



FIRMAT. I. quia pro nobis satisfecit; vnus autem satisfecit pro alio, dum suscipit in se penam pro alterius peccato debitam. 2. ad fidem Incarnationis adstruendam, ut scilicet ostenderet se esse verum hominem. 3. propter exemplum quod nobis praeberet debuit.

Veritatem hanc negarunt aliqui haeretici, ij scilicet qui negarunt veritatem carnis Christi, ei tribuentes corpus caeleste, de quibus supra egimus. Negarunt etiam alij, licet assererent Verbum assumptisse corpus eiusdem nobiscum substantiae, dicentes illud fuisse impassibile; cuius haereseos auctores Damasc. haereti. 84. facit Iulianum Halicarnassum & Caietum Alexandrinum. Quorum haereseos varijs scripturae locis facile possunt refutari, & doctrina S. Thom. comprobatur. Isa 53. *Ve- re languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*, quo loco, ut patet ex textu, designatur quod Christus nostras infirmitates in se suscepit, quas propter peccata subire debebamus.

1.
Resp. affir.

Qui negant Christum assumptisse corpus defectus.

Refellitur.
Isa. 53.

Præcluditur euasio,

Nec obstat quod Matth. cap. 8. postquam Christus Dominus eiecisset demonia, & male habentes curasset, dicatur, *ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem, ipse infirmitates nostras accepit, & agrotationes nostras portauit*: ita ut non significetur Christum dolores in se suscepisse, sed ab alijs abstulisse, & morbos depulisse. Dico enim id quidem significari, sed significari etiam quod in se suscepit, ut patet ex sequentibus apud Isaiam; quauis Euangelista eum sensum non retulerit, utpote ad ipsius institutum parum faciētem. Matth. 4. *esurij Ioannis 4. fatigatus fuit. cap. 19. sitijt. Luc. 24. nunc haec oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*. Videri potest Apostolus ad Heb. 2. & 5. Vnde patet esse de fide quod Christus assumptum corpus passibile, & varios eius defectus in se suscepit, quae veritas habetur etiam in epistola Sophronij actione 11. 6. Synodi generalis approbata actione 13. & in Concilio Lateranensi sub Martino 1. can. 4.

Matth. 4.
Ioan. 4. & 19.
Luc. 24.
Heb. 2. & 5.

6. Syn.
Con Lat.

Circa rationes S. Thom. notandum, licet Christus potuisset per quemlibet actum etiam inter-

num

Fuit conueniens Christi assumere penales finis incarnationis non repugnantes.

num verè pro nobis satisfacere, quia tamen satisfactio præcipuè exhibetur per opera pœnalia, fuisse conueniens vt assumeret pœnalitates, quæ huiusmodi fini non repugnabant. similiter quamuis veritas naturæ humanæ possit consistere sine huiusmodi defectibus, vt patet in beatis in quibus non inueniuntur corporales defectus post communem resurrectionem, cum tamen in ijs natura humana futura sit perfecta: fuit tamen congruum vt hos defectus assumeret; nisi enim eos assumpsisset, non ita sufficienter veritatem naturæ humanæ declarasset hominibus obnoxij multis defectibus.

In responsione ad 1. difficultatem parit quod dicitur, non esse efficacem satisfactionem nisi ex charitate procedat, & ideo oportuit animam Christi perfectam esse quantum ad habitus scientiarum, & virtutum, vt haberet facultatem satisfaciendi. parit, inquam, difficultatem, cum supra cum communiori Doctorum sententia dixerimus Christum etiam sine gratia habituali & virtutibus infusus, ratione vnionis hypostaticæ humanitatis cum Verbo potuisse exercere actus satisfactorios pro peccato generis humani, & efficaciam operum eius non provenisse à gratia habituali.

explicatur
S. Thom.

Omissis solutionibus Medinæ, dico S. Thom. in hac responsione noluisse Christum non potuisse satisfacere sine gratia habituali, vel efficaciam satisfactionis ab ea processisse; sed solum voluisse ostendere moralem congruentiam, ob quam decuerit Christum ornari gratia habituali, etiam in ordine ad satisfaciendum, hoc modo: satisfactio in hominibus habet efficaciam ex charitate, atque adeo charitas conuenienter est principium operationum satisfactoriarum; igitur oportuit, id est, decuit opera Christi ex eo principio etiam procedere, vt haberet facultatem satisfaciendi, id est, instrueretur simili connaturali principio actuum satisfactoriorum, licet illud principium in eo non sit necessarium ad valorem ipsius operis, sicut in alijs hominibus.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus necessitatem his defectibus subiaccendi assumpserit?

S. f. artic.

1. D est, vtrum ex necessitate quadam subiaccerit huiusmodi corporis defectibus; an verò fuerint illi planè voluntarij?

Resp. 1.

Respondet 1. h. sermo sit de necessitate proveniente ex principijs intrinsicis, eum ex quadam necessitate subiaccuisse istis defectibus: quia supposito quòd propter salutem humani generis non assumpserit corpus gloriosum, sed corpus suum naturali conditioni reliquerit, quantum est ex principijs intrinsicis, necessariò subiaccuit his defectibus non minus quam corpora aliorum hominum, quæ propter suam naturalem constitutionem necessariò illis subiaccunt, v. g. defatigantur, patiuntur à frigore &c.

Resp. 2.

Respondet 2. Christum non necessariò subiaccuisse his defectibus necessitate repugnante voluntati, ita vt fuerint involuntarij, quasi eos coactus subiaccisset; quia tam secundum diuinam voluntatem, quam secundum humanam fuerunt ei voluntarij. Itaque fames, sitis &c. fuerunt voluntaria Christo secundum vtramque illius voluntatem, quia etiam secundum voluntatem humanam

Defectus assumpti fuerunt Christi voluntarij.

sele obtulit ad similes defectus ferendos, eorum causas liberè voluit vel permisit; atque adeo hac ratione fuerunt ei voluntarij etiam antecederent, quamuis causis applicatis non amplius subessent imperio voluntatis secundum se spectata, seu considerata secundum sua naturalia, sed solum ex diuina concessione: qua ratione ex diuina concessione in transfiguratione participauit aliquam saltem conditionem corporis gloriosi.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus defectus corporales contraxerit?

6.

NEGAT. quia contrahere est aliquid simul cum causa habere; Christus verò caruit peccato quod in nobis est causa horum defectuum & pœnalitatum, quamuis ergo hos defectus assumpserit, non tamen contraxit, & ita communiter tenent theologi.

Nec refert quod illi defectus consequantur naturalem corporis compositionem; quia primus homo reipsa in statu innocentie illis non subiaccuit, sed solum post peccatum, atque adeo optimè dicuntur effectus peccati. quod quia in Christo esse non potuit, nullo modo dicendus est illos contraxisse, vnde licet in nobis habeant rationem pœnæ propriè dictæ, in eo tamen solum habuerunt rationem cuiusdam incommodi & pœnalitatis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus omnes defectus corporales assumere debuerit?

RESPONDET eum solum debuisse assumere illos defectus qui ortum habent ex peccato totius naturæ, nec tamen repugnant perfectioni gratiæ vel scientiæ.

Vbi obiter dicit non assumpsisse ignorantiam, procliuatatem ad malum, difficultatem ad bonum, non quod censet hæc reponenda inter corporales defectus, sed vt det aliqua exempla eorum quæ non sunt assumpta, quia repugnant perfectioni gratiæ vel scientiæ.

Ex dictis potest colligi 1. Christum non assumpsisse corpus deforme. ita communiter tenent Doctores, cui sententiæ immeritò repugnat Michaël Medina lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7. post medium.

Prob. ex plurimis Patribus qui passim citantur. 2. quia deformitas non consequitur naturam, sed oritur ex particularibus causis. 3. deformitas corporis non requirebatur propter finem Incarnationis, v. g. ad satisfaciendum, & de cætero decebat corpus Christi esse integrum, membra habere decentissimam proportionem, & optimum in eo reperiri temperamentum, & ex purissimo sanguine D. Virginis sumptum. Christus etiam illud sapientissimè gubernabat; ex his autem oritur pulchritudo. Vnde omnino dicendum est corpus Christi habuisse eam pulchritudinem quæ virum decet secundum decursum cuiusque ætatis.

2. Potest colligi eum non assumpsisse morbum caducum, lepram, &c. quia hi & similes morbi proueniunt ex mala complexionem naturali, vel ex im-

prudencia

Resp. neg. Contrahere est aliquid simul cum causa habere.

Obiectio tacta soluitur.

Defectus in Christo non habuerunt rationem pœnæ.

Resp. neg.

7.

Ceroll. 1. Non assumpsit corpus deformem.

8.

Ceroll. 2. Non leprosus &c.